

Georg Radow Coelestius Fridericus Guttermuth

## **Dissertatio Iuridica De Retorsione**

Rostochi[i]: Richelius, 1662

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73521185X>**

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 17. Mai 1662

Radovius, Georg







35.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

RETORSIONE,

Quam  
A. D. O. M.  
&

*Rücknahme von  
Balsidigphagen*

Consentiente Nobilissima Facultate  
Juridica in illustri Rosarum  
Universitate

PRÆSES

GEORGIUS RADOVIUS,

J. U. D.

&

RESPONDENS

COELESTINUS FRIDERICUS

Guttermuth/

Silesius,

Publico Eruditorum examini  
submitunt

Ad diem 17 Maji

In Auditorio Majori.



ROSTOCHI,

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.

ANNO c1o 1o c LXII.

*J. D. 102. II.*

3

DISSERTATIO JURIDICA  
DE

RETORSIONE

Grav

A. D. M.

Consuetudinis Populorum Facultate  
Juridica in Illustri Rostonia  
Universitate

1717

GEORGII RADOVII



Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

Rostock

Typis Johannis Richeii, Senatus Typog.  
(ANNO MDCCXXII)

# Prooemium.



*Q*uam grave & atrox crimen sit  
Injuria vel exinde patet, quod, quantum  
ad gravitatem delicti, cum furto & falso  
pugnare dicatur, usq[ue] tanto atrocius esse  
quanto gravior Viri honesti est jactura  
honoris & existimationis, quam non modo  
bonis, sed etiam vitæ & valetudini prefe-  
runt. Carpzov. prax. crim. p. 2.

q. 94. n. 1. Hinc est, quod injurians  
fur honoris, Ein Ehrendieb/ appellari vulgò solet. Carpzov. d. l.  
nec mirum, quod non minus in horum ac illorum odium §. 14. J. de  
Action. contra rationem juris, Pac. ad §. ult. J. de Oblig. quæ  
ex del. nasc. tot tamq[ue] varia inventa & introducta sint remedia,  
quibus coerceri possint. Quemadmodum enim I. de universali con-  
suetudine iudex in omnibus casibus per inquisitionis viam licite & juste  
procedit, attestante Carpzov. d. p. 2. q. 96. n. 3. in tantum, ut ex-  
mero etiam officio ad inquisitionem criminum non procedens negligens  
officium suum facere ipsemetq[ue] non levi se crimine obstringere dicatur.  
Carpzov. d. l. n. 5. Ita quoque in injuriarum crimine ex officio  
contra reum procedere ei[us] pœnam arbitriam imponere potest & de-  
bet, præsertim si officium ejus ab injuriato fuerit imploratum d. n. 5.  
& seq. Officium enim magistratus est providenter damna & inju-  
rias singulorum etiam subditorum, præcavere arg. l. i. de tig. junct.  
l. i. §. 4. Depos. l. pen. C. de suscept. & ad omnia nocenter e-  
mer suta provide attendere. c. 2. extravag. de sent. Excom. Just.  
in præfat. Nov. 1. Nov. 8. Nov. 32. Unde P. P. etiam provi-  
dentissimi appellantur l. 67. in fin. de Leg. 2. Magnif. Du. Ta-  
bor Tract. de Obligat. success. in offic. c. 2. n. 1. 2. Reme-  
dium est actio preparatoria ex L. Diffamari C. de ingen. ma-

num. de qua vide *speciales tractatus* Blarer. Mund. conf. O. C. p. 2. Tit. 25. Gail. 1. Observ. 9. 10. 11. 12. 3. *Injuriarum Actio*, que vel est civilis ad estimationem auctori applicandam §. 7. Instit. de Injur. vel criminalis qua agitur ad pœnam arbitriariam §. 10. J. d. Tit. 1. ult. ff. eod. que pro qualitate delicti etiam ad pœnam capitis extendi potest l. 9. & seqq. ff. de Extraord. crim. Cum quibus actio ad Palmodiam seu recantatoria hodiernis moribus introducta. O. C. p. 2. Tit. 28. §. Undersonderlich setzen Wir. 4. Mynsing. 2. Obs. 98. Gail. 1. Obs. 65. cumulari solet arg. l. 7. ff. de Condict. furt. l. 45. pro soc. l. 34. de Oblig. & Act. Gail. d. 1. Carpzov. pr. crim. p. 2. q. 94. n. 63. conf. Schnobel. Disp. 24. Thes. 10. Bachov. ad Treut. V. 2. d. 30. Thes. 7. lit. A. 4. *Actio famosi libelli* cujus pœna hodie capitalis, ex l. iii. C. de famos. libel. C. C. C. art. 110. Rebhan. Hodog. Jur. chart. 2. clin. 4. paral. 1. n. 40. Carpz. d. l. q. 98. n. 6. 5. Deniq; est *Retorsio*, quam hac vice per modum simplicis *Thematis* proponere aenimus est. Unam id fiat **FELICITER**.

### *Thesis I.*

**Q**uamvis ipsa vox **RETORSIO** apud nullum Latinitatis authorem exstet, neq; in toto jure formaliter reperiat, sed, si dicendum quod res est, superioribus demum seculis à Jure Consultis cum multis aliis, ita jubente necessitate, sit inventa. Certum tamen est Verbum Retorquere, unde vox nostra suam habet originem, latinum esse idemq; significare quod reflectere, remittere, retrojacere, repellere: ut retorquevere pilam. *Cato Maj. retorquevere oculos Cic. in Catil.* Caput in sua terga retorsit. *Ovid. 10. Metamorph.* & in specie, retorquevere crimina l. 14. §. 6. ff. de bon. liberr. Quapropter non ero adeò fastidiosus, ut propter novitatem eandem asperner; nec ita superstitiosus, ut ea uti mihi sit religio, nec tandem adeò sollicitus, rectiusne scribatur Retorsio, sicuti in Jure Canonico legitur Extorsio, cap. 12. X. de Jurejurand. an Retortio, habito respectu ad su-

ad supinum Verbi retorquere, quod retortum non retorsum  
volunt Grammatici, quemadmodum apud Cicer legitur à con-  
tortum derivata vox Contortio, & à distortum distortio: an tan-  
dem Retorquutio, *Corbm. V. 2. Resp. 59. n. 121?* Quolibet enim scri-  
bendi ratio habet suos defensores, magni nominis Jctos. Simus  
in verbis faciles, modò de re ipsa conveniamus ejus potior sem-  
per est habenda ratio.

## II.

In duplici vero significatione vocem Retorsionis apud DD.  
usurpatam invenio, nimirum de Retorsione juris novi seu iniqui  
& de Retorsione injuriarum, ita ut utrumq; absolutè posito voca-  
bulo denotetur, uti hoc velex solo Berlichio probari potest, qui  
de utraq; specialem conscripsit conclusionem; de illa *Concl. 51.  
part. 3. de hac Concl. 64. p. 5. conf. Carpzov. J. F. p. 3. const. 38. def. 1.  
seq. ad def. 15. & p. 4. const. 44. def. 7. & const. 46. def. 10.* Illa perti-  
net ad edictum, quod quisq; juris in alterum statuit ut ipse eodem  
jure utatur; & explicanda est *ad Tit. ff. Quod quisq; jur. Frantzk. in  
comment. ad XXI. Libb. ff. d. Tit. n. 6. & 8.* Hæc vel sumitur pr o-  
priè vel impropriè. Impropriè, quando Retorsio idem est, quod  
mutua accusatio seu Anticategoria. *Anton. Matthe. de Crimin. ad  
Tit. 13. lib. 48. ff. cap. 10. n. 2. 3. & 4.* Propriè, quando accipitur  
pro vindicta injuriarum privata, quæ alio nomine dicitur Recri-  
minatio. *Magnif. Dn. Tabor. Armament. just. D. 4. cap. 2. Th. 7.  
Injuriarum relatio, Nebel. Brâ decis. 18. compensatio. Berlich.  
d. concl. 64. Rubr. & n. 24.* Ultima vero significationis tantum hujus  
disquisitionis est.

## III.

Describitur ea, quod sit remedium juris *Berlich. d. concl.  
n. 41.* quo injuriosa verba in sinum effudentis legitimè re-  
fundendo & injuriam à nobis propulsamus *arg. l. 25. de pro-  
curat. & famam innocentiamq; nostrâ propria autoritate,*  
hoc est, extra judicium seu non adito iudice *Dn. Tabor. d. l. Th. 13.*

A3

G. I. A.

*C. I. A. lib. 47. Tit. 10. Tb. 13 Vindicamus. Locamer. quest. Jusl. 355.  
arg. T. Tit. C. quand. lic. un. sine jud. se vind.*

IV.

Causam efficientem habet JUS, scilicet non scriptum sed tacito consensu inductum; verbo, Consuetudinem quæ pro lege servari debet: *Carpzov. pr. Crim. p. 2. q. 94. n. 79.* quippe quæ tantam vim habet ut legem tollat, *l. 32. §. 1 ff. de LL.* Patet hoc ex consuetudinis requisitis, quæ sunt, 1. Tacitus populi consensus *l. 32. ff. de LL.* qui probatur ex moribus seu usu populi *C. 2. dist. 4.* quæ apparet ex actuum frequentia *l. 1. 2. 3. C. que sit long. consuet.* 2. Honestas & rationalitas *l. 39. ff. de LL. c. fin. X. de consuet.* Etenim retorsionis remedium dicitur quotidianum *C. I. A. cit. loc. Tb. 12. in fin.* ubiq; locorum non communi modo DD. opinione *Berlich. d. concl. 64. n. 1.* sed etiam usu receptum *Locam. d. quest. 355.* quod etiam agnoscit alias contrarius *Bachov. ad Treut. V. 2. D. 30. Tb. 7.* tot præjudiciis firmatum *vid. Carpz. 7. For. p. 4. c. 44. def. 7. const. 46. def. 10. seq. & prax. crim. q. 97. n. 37. seq.* ut sine hæresi manifesta nemini ne quidem contradicere liceat; *Renneman. Tract. de jure Retort. præfat. Tb. 5.*

V.

Et ne sola temporis, quo invaluit, longinquitate justitiam hujus nostræ Retorsionis defendamus nobisq; objiciatur tritum illud quod vulgò circumfertur dictorium: **Was hundert Jahre unrecht ist / ist nimmer recht;** addamus etiam requisitum alterum scilicet rationalitatem, quæ omnium est evidentissima. In confesso enim est, ipsam naturam defensionem omnibus animalibus indidisse, teste *Cic. l. 1. Off.* Principiò, inquit, generi animalium omnia à naturà est tributum, ut vitam, corpusq; tueatur declinetq; ea, quæ nocitura videntur. Hinc cum in *l. 1. §. 11. ff. quadrup. paup. fec. dic.* arietes vel boves commisissent, & alter alterum occidisset, Quintus Mucius distinxit, ut si quidem is periisset, qui aggressus erat, cessaret actio; cujus distinctionis fundamentum aliud nullum est, nisi quod animal provocatum, vim propulsa verit secundum naturam defendere se docentem, *vid. Dissert. Jur. select. Dn. Habn. ab anno 42. ad 46. Helmstad. habit. Disp. 12. Tb. 1.*

VI. Acce-

## VI.

Accedit Jus Gentium quod solis hominibus inter se est commune l. 1. §. 4. ff. de just. & jur. Omnes enim gentes, quemadmodum propter cognationem, quam natura inter omnes homines constituit, ex naturali ratione seu ratiocinatione nefas esse putant, ut alter alteri injuriam inferat, ita ex adverso jure eos fecisse existimant, qui vim atque injuriam illatam propulsant l. 3. d. tit. & adversus omne periculum se defendunt l. 4. pr. ff. ad L. Aquil. Quid multis? Defensionem omnes leges, omnia jura unicuique permittunt, l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Imò & vindictam, modo extra ultionis crimen sit, & legum autoritate fiat. *Cochman. V. 2. Resps. 59. n. 140*, hoc est, in causis, ob quas vel naturalis vel civilis ratio privatam vindictam, observatis quibusdam requisitis, concedit, *Peretz. ad C. Tit. quando lic. unic. sine jud. n. 5.*

## VII.

Talis causa est, 1. Salus publica, lex illa omnium suprema, pro cujus defensione licitum est unicuique, dummodo velit possitque, occidere Hostem, l. 3. §. ult. ad L. Corn. de Sicar. c. 3. 23. q. 1. & qui hostium numero habentur, ut est Transfuga, seu qui malo consilio, & proditoris animo patriam reliquit, l. 19. §. 4. de captiv. & postlim. *revers.* Tyrannus, titulo & exercitio talis, ut Politici loquuntur, si nulla ratione nec ex postfacto fuerit approbatus; *vid. Disputat. meam de Majestate, sub Praesidio Doctoris mei & JCTi Excellentissimi Dn. D. REDEKERI anno 1659. hic habitam posit. 5. ubi prolixius de Tyrannicidio egi.* Militiae desertor, qui belli tempore à signis abiit maxime si armis resistat, l. 1. 2. C. de desertor. l. 2. C. quand. lic. un. *sine jud.* Publici latrones, nocturnique agrorum depopulatores; l. 1. & 2. C. quando lic. un. & ibi *Peretz. n. 3.*

## VIII.

2. Vita, quam cum internectione aggressoris justius an defendamus per l. 3. de J. & J. l. 4. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 2. 3. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm. *Constit. Crim. Carol. V. artic. 139 & seq. c. 18. X. de homicid. c. 3. de sent. excum.* an verò in praeceptum Non occides gravius impingamus, si nobismet ipsis vitam

vitam potius turpissimè eripi quam scelestissimum aggressorem  
 lædere malimus, non sine ratione mecum ambigo hæreoq; ? Et-  
 enim si consentire dicitur, qui non prohibet, quod prohibere po-  
 terat *arg. l. 50. de R. J. nec scrupulo societatis occultæ caret, qui*  
*manifestissimo facinori desinit obviare. C. qui potest 23. q. 3. videbi-*  
*tur certe hoc casu impias sibi ipsi inferre man<sup>u</sup>, Obrecht. de Neces. def.*  
*cap. 1. n. 20. seq. Farin. Prax. crim. p. 5. q. 125. Carpzov. p. 1. q. 28. n. 10.*  
*¶ 11. & Autodidiam committere, de qua nullum mandati extat*  
*vestigium in tota sacra scriptura, Cothman. V. 5. Resp. 2. n. 159. fietq;*  
*tantò nocentior, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se*  
*occidendum putavit, C. si non licet 23. q. 5. ex eo, quod nemo sit*  
*membroꝝ suorum Dominus l. 13. in pr. ad L. Aquil. & Reipublica:*  
*inter sit, ne quis re etiam suà male utatur § 2. J. de his qui sunt sui vel*  
*alieni juris. Quod denique sui ipsius dilectionem negligat contra*  
*præceptum Christi: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quia*  
*in omnibus benè ordinatis charitas incipit à se ipsa arg. l. 6. C. de*  
*serv. & aqua.*

### IX.

3. Pudicitia. Ita impune occiditur Virginum, vidua-  
 rum aut uxorum raptor in ipsa rapina, & flagranti crimine depre-  
 hensus cum omnibus iis, qui ei tempore invasionis auxilium præ-  
 buerunt *l. un. C. de raptor. Virg.* uti etiam violenti stupratores *l. 1.*  
*§ 4. ad L. Corn. de Sicar.* 4. Possessio, in hac enim, si justa fue-  
 rit, propria autoritate possum me non tantum defendere *l. 1. C.*  
*unde vi l. 3 §. 9. de vi & vi armat. R. L. de anno 1521. Tit. Die Poen als*  
*ler Friedbrecher. 2. vers. Uber. O. Cam. p. 2. Tit. 9 §. So jemand/*  
*2. insin. Gail. de Pac. pub. l. 1. c. 16. Sed si dejectus fuerim, etiam in-*  
*continenti vi possessionem recuperare d. l. 3. § 9. l. 17. de vi & vi arm.*  
*c. 12. X. de restit. spoliat. Gail. d. l. n. 14. 15. 5. Securitas domestica*  
*ejus gratia metatoribus s. designatoribus hospitiõꝝ militari-*  
*um, ipsiq; hospitiõꝝ præter fas & æquum se ingerentibus tuto*  
*potest resisti, uti ex l. 1. C. quando univ. & l. 5. C. de metat. probat.*  
*Magnif. Du. Tabor. in Comment. ad d. Tit. C. de metatis & Epidemet.*  
*p. 1. cap. ult. n. 5. & p. 2. cap. ult. n. 9.*

X. 6. Potè-

6. Potestas patria, quod patet ex eo, quod pater adulterum in ipso actu venereo in domo suâ generive sui deprehensum unâ cum filia, quam in potestate habet, in continenti occidere possit, *l. 20. 21. 22. & 23. ff. ad L. Jul. de adult. constit. crim. Carl. V. art. 142.* quod vi potestatis maritalis etiam marito in uxore in adulterio deprehensa & adultero, licere tum putamus, si adulter persona quædam vilis & infamis sit *l. 24. pr. ad L. Jul. de adult. l. 4. C. eod.* vel si quis ei, quem suspectum habet, de sua uxore, ter in scriptis denunciaverit sub præsentia trium testium fide dignorum, & post invenerit eum convenientem uxori suæ in domo suâ, vel uxoris, vel adulteri, vel in popinis aut in suburbanis, *Auth. si quis C. ad L. Jul. de adult. qua desumpta est ex Nov. 117. cap. 15.*

Adduci hanc in rem possent adhuc plurima alia, nisi sufficientissimè probatum jam dedissem⁹, dari casus, quib⁹ vindicta privata, regulariter aliàs prohibita *l. 176. de R. l. l. 14. C. de jud. & calic. 2. F 23. C. si non licet 23. q. 5. & passim. O. C. p. 2. Tit. 9. 10. omni jure concedatur.* Quæritur autem: Utrum Fama & Existimatio ad causas vindictæ privatæ, quarum præcipuas jam enumeravimus, commodè referri possit? quod ultrò concedimus, eo quidem tutius, quo certius constat, Famam esse thesaurum inæstimabilem, odoris suavitatem non aliter ac Liliū expirantē, & sonum dulcissimum impingvantem ossa, eaq; nihil homini majus vel jucundius dari, nihil ex adverso gloriosius, & carius adimi posse, *ex Baldo, Menoch, Zasio & aliis. Mundus de diffamat. & ear. remed. proam. n. 2. 3. seq.* Gravior namq; censetur honoris & famæ, quàm oculorum & omnium bonorum amissio, *l. 8. C. de Deturion.* adeoq; honor & hominis vita à pari procedunt, ita, ut non minori cura & studio honor & famæ integritas nobis quam vita ipsa cordi esse debeat. *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. l. 5. C. de instit. & substit. Gail. 2. Obs. 100. n. 5. seq. Mund. d. l. n. 7.*

Quid enim salvis infamia nummis?

Operam suam perdet, quicunq; nobis objecerit. 1. Casus superius adductos esse specialissimos, merasq; Exceptiones, quæ uti omnem regulam, ita & eam, quæ de vindicta privata regulariter prohibita Th. præcedanea adducta est, firmabunt in contrarium, in casibus nimirum jure non expressis per ea quæ habet *Barbos. augment. lib. 16. cap. 32. axiom 5.* 2. In casibus anterioribus maximam subesse necessitatem, quæ non habet legem, in vindicatione autem existimationis vel profus nullam, vel si quædam adsit, alia tamen ratione evitandam; Viro enim gravi & honesto ejusq; famæ nihil detrahitur, verbis injuriosis à levi quopiam homine prolatis, quales communiter sunt calumniatores, vulgò *(Ehrendiebe/ Carpz. prax. Crim. p. 2. q. 94. n. 16.* per ea, quæ tradit *Spechan. cent. 2. d. 3. q. 8. per tot.* unde injuria ad infamiam fieri dicitur, *l. 1 §. 2. ff. de injur. infamandi causa l. 15. ff. d. tit. minuendæ opinionis causa l. 3. C. eod.* Unde in causis injuriarum nemo prudens conceperit libellum: Titius hat Blägers an seinen Ehren geschmähet; sed potius: Titius hat sich törsftiglich unterstanden/ so viel an ihm gewesen/ Blägers an seinen Ehren zu schmähen. Et concessio quod verba injuriosa detrahant aliquid honori alicujus, justius fortean fecerit lætus, si ea vindicet more veterum sapientum, & in specie cum *Catone* ad injuriantem regetendo: *Impar mihi tecum certamen est: Tu suetus moribus digna tuis audire probra, eadem in alium gestu fundere; mihi vero male audire quidem insolitum est, male vero dicere ingratum.* Vel cum *Xenophonte*: *Tu maledicere didicisti, at ego conscientia teste didici maledicta contemnere:* Vel cum *Demosthene*: *Non descendo tecum in certamen, in quo victus victore superior est.* Aut si hunc vindicandi modum putemus esse servilem eum *Aristot.* 4. *Ethic. 7.* homineq; politico veram non fucatam Philosophiam affectanti vel profitenti *l. 1. §. 1. ff. de J & J.* indignum ac ignominiosum, *Carpzov. d. q. 94. n. 1.* quod conscientie & innocentie suæ tantum fidens, & famæ mendacia ridens famam publicam sine crudelitatis nota negligere is nequeat *c. nolo. 12. q. 1. c. fin. X. de accus. Cothman. V. 2. Resp. 59. n. 150,* judici res illa forte tutius committenda erit, quia processus ille, qui via juris expeditur, civilior est & urbanior *Coler. de Process. Execut. p. 3. c. 8. n. 8.*

## XIII.

Theoricam illam communem, *Exceptio firmat regulam in con-*  
*curium*, quod attinet; notum est eam habere suas limitationes,  
 quarum potissima, hæc est, quod casus exceptuatis similes vel ma-  
 jores, censeantur itidem excepti, si propter exceptiones sint & a-  
 liæ rationes, quæ regulam restringunt, *Barbos. augm. lib. 5. cap. 23.*  
*axiom. 24. limit. 1. & 3.* Deinde falsum est, quod in causis vindi-  
 ctæ privatæ eadem sit necessitas, quod vel ex causa possessionis a-  
 liarumq; rerum luce meridiana clarius apparet, quippe quæ ea-  
 dem ratione ac fama à judice possent restitui. Præterea, quamvis  
 verba injuriosa existimationi honorati Viri revera nihil derogent;  
 nihilominus tamen apud vulgum ipsius fama non parum sugilla-  
 tur, uti in aperto est; adeoq; omninò opus est, ut in tantum redin-  
 tegretur, in quantum læsa est, *conf. Carpzov. d. l. q. 94. n. 17. & q. 98.*  
*n. 48. ne vulgus ex prava & falsa opinione injuriis honorem de-*  
*primi putet, Carpzov. d. l. q. 95. n. 93.* talis enim quis existimatur,  
 qualis dicitur, si inultam relinquat injuriam etiam perditæ hominis  
*Excell. Dn. D. Rahn p. m. Disput. de Injur. & famos. libel. anno 1658.*  
*hic hab. Thes. 48. conf. Bachov. ad Treut. d. D. 30. Thes. 6. lit. G. & H.*  
 quinimò constat, non solum ob crimen notorium vel legiti-  
 me probatum, sed & ob infamationem ortam ex eo quod dubi-  
 tetur an crimen objectum infamatus commiserit, nec ne, vel quod  
 de criminis qualitate ambigatur, rectissimè & æquissimè etiam ad  
 suspensionem ab officio deveniri, *ex Joan Imola in Clement. cupientes*  
*sub n. 11. & Bonifac. de Vitalinis ibid. n. 20. de pæn. Facultas Juridic. Tu-*  
*bing. in respons. quod habet Besold. in Thes. pr. voc. Retorsion. annon hæc*  
*legitimè sunt evitanda & vindicanda? Deniq; sicut in causa pos-*  
*sessionis vel in aliis rebus, via juris ad restitutionem ablatorum &*  
*dammorum perpefforum agere, intempestivum sæpe est, ita causæ*  
*injuriarum hodie dicuntur causæ merdarum & molestissimæ sunt*  
*ob injustissimas adhærentium persecuciones, ob tædiofissimas mo-*  
*ras, quas necit modo ipse judex modo Advocati, ut impensas ta-*  
*ceam, quas, si præsertim mors injuriantis intervenerit, & quæ in*  
*causis gravioribus præprimis intenduntur, recantationem una-*  
*cum poena extraordinaria extinxerit, per §. 1. J. d. perpet. & temp.*

*act. Carpz. d. l. q. 96. n. 31.* inutiliter factas tandem, sed sero nimis, actores miseri ut plurimum agnoscunt, ut cum *Gail. 2. Obs. 57. n. 6.* merito exclamandum sit: A tali actione libera nos Domine.

XIV.

Nec est quod quispiam regeat: 1. Famam habere fundamentum aliquod internum, morum scilicet honestatem, vitæ probitatem & quæ sunt qualitates aliæ internæ vi externæ ita non subiectæ uti res aliæ in quibus vindicta illa, ea de causa, omni jure concessa est *l. 3. d. just. & jur. & textib. superius alleg.* nec tam propter malum præteritum, quam ad evitandum futurum quod quis probabiliter metu. Nam propter internas illas qualitates externus nobis ab aliis honor debetur, qui verò honore dignum injuriis afficit, is ei non tribuit, quod tribuere debet, qui verò, quod debet, non tribuit, ille non potest eum non lædere. *Hahn. d. Disput. 12. th. 49. p. 12. m. 572.* Ad hæc sicut vim inferens præsumitur ulterius profecturus: ita convitiis aliquem proscindens præsumitur habere animum plura convitia ingerendi, *Harpr. d. l. n. 99.* Et tandem 2. hæc quidem politicè ita disputari, sed minus Christiane, eo quod hæc injuriarum vindicta expressis sacre scripturæ præceptis contrarietur, id quod pluribus textibus evincere conatur, *Renneman. cit. tract. part. 2. Th. 4.* Respondendum enim, malè opponi politicum Christiano, cum possint esse subordinata; Dicta à *Renneman. no. d. loc.* cummulata pleraq; loquuntur de ultione, uti patet ex loco *Ezech. 25. v. 15.* Darumb daß die Philister sich gerochen haben/ und den alten Haß gebüßet nach alle ihrem Willen am Schaden meines Volckes. Ultionem autem vindictæ expresse opposuimus *supr. Th. 6. conf. can. Ea vindicta 23. q. 4.* Reliqua instrunt injuriam passum quomodo contra eum qui injuriam intulit, affectus & animo comparatus esse debeat, nempe pio, puro, recto, patiente, & ob illatas injurias nullum animi rancorem, nullamq; inimicitiam & illegitimam vindictæ cupiditatem ac libidinem concipiente & contrahente, *Cochman. d. Resp. 59. n. 224.* aliàs enim & ipsa injuriarum actio jure divino diceretur prohibita, quod tamen nemo facile probaverit. Tum enim proximo injuriam inferenti, injuriam demum condonare debemus, si id fraternè petat,

nè petat, & ut Canones loquuntur, supplicet ac veniam roget; non si mente obstinata ac glorioso supercilio in injuria inferenda animosè persistat, cristas erigat & spiritus altos alat, *Cothman. d. l. n. 226. seq. per C. si illis 23. q. 4. & C. Relegentes 23. q. 5.* Si autem veniam petierit, tunc inhumanum & contra fraternam charitatem est, non dare veniæ locum, *Hartman. Hartman. pract. observat. lib. 2. Tit. 49. observ. ult.* Concludimus igitur cum magno illo *Jcto Dn. Cothman. Vol. 1. Resp. 48. n. 98.* Retorsionem summam habere æquitatem & justam esse sine cujuscpiam indignatione.

### XV.

Subjectum Retorsionis aliud agens est aliud patiens. Subjectum agens regulariter est is, qui injuriam passus est *Carpzov. J. F. p. 4. c. 46. n. 1. Harpr. Tractat. crim. ad § 12. J. d. injur. n. 125. seq. sive absens sive præsens fuerit, Harpr. d. l. n. 37. & 212. Berlich. d. p. 5. concl. 64. n. 9. seq. Obrecht. de necess. defens. cap. 2. n. 16. & ipsius nomine etiam alius, utpote cognati, affines in quartum usque gradum licet actionem injuriarum forsitan non habeant, Cothman. V. 2. Resp. 59. n. 47. 48. 49. & n. 97. seq. & Procurator speciali mandato ad retorquendum instructus C. 1. A. d. Tit. de injur. Tb. 35. n. 5. per l. 1. §. 2. de procur. l. 25. ibid.* Subjectum patiens ex adverso regulariter est is, qui injuriam intulit vel ipse, etiam in absentia, *Harpr. d. l. n. 212. vel per alium; cujuscunq; status & conditionis fuerit; in eo enim convenire puto Retorsionem cum actione injuriarum, ut contra quem hæc detur, contra eum quoq; concedenda sit Retorsio conf. Harpr. d. l. n. 166. seq. Berlich. d. l. n. 18. C. I. A. Tb. 17.*

### XVI.

Objectum est injuria verbalis, & ea, quæ pro verbali habetur, puta quæ scriptis alicui infertur, *Carpz. prax. crim. p. 2. q. 98. n. 1. Gail. 2. Obs. 104. n. 1. nec inter est utrum erimen objectum verum sit, nec ne? l. 5. C. de inj. C. cum minist. & c. relegentes 23. q. 5. Schnob. D. 24. Tb. 7. Backov. ad Treut. V. 2. D. 30. Tb. 5. lit. G. modo dolus & conviciandi animus adfuerit, qui essentialia injuriæ requisitū est l. 3. §. 1. ff. de inj. l. 5. C. eod. Gail. 2. Obs. 101. n. 6. & ex dicto injurioso præsumitur donec contrarium fuerit probatum, Carpzov. d. p. 2. q. 97. n. 2. 3. seq. Schnobel*

B 3

d. l. Tb

d. l. Th. 8. Pac. ad C. Tit. d. injur. n. 6. per l. 5. C. cod. Quæritur autem cum famosus libellus sit species injuriæ scriptis prolatae Carpzov. d. l. q. 98. n. 4. utrum contra hunc itidem possit retorqueri injuria? quod simpliciter negandum. Ratio hæc est, quia ad substantiam famosi libelli seu Pasqvilli suppressio nominis requiritur *Conf. crim. Car. V. art. 110. ibi Mit seinem Lauff und Zuchtamen nicht unterschrieben/* vid. l. 5. § 9. ff. d. injur. & famos. libel. l. un. C. d. famos. libel. Carpzov. d. q. 98. n. 24. seq. & n. 52. Finckelth. Observ. præf. 39. Schnob. d. D. th. II. cæterogvin propriè talis haberi nequit, Carpzov. d. l. & J. F. p. 4. c. 44. def. 4. & ibid. alleg. Nomine vero occultato contra neminem injuriæ retorqueri possunt, cum retor. sio nullum effectum habeat, nisi contra certam aliquam personam fuerit concepta, in quo DD. unanimiter conveniunt, vid. Carpz. d. C. 44. def. 7. n. 3. Berlich. d. concl. n. 33. Harpr. d. l. n. 195. & 212.

### XVII.

Forma Retorsionis alia est interna alia externa. Ad internam requiritur, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod in duobus consistit: 1. ut fiat in continenti, Carpzov. d. q. 97. n. 25. & J. F. p. 4. c. 46. def. 11. n. 8. Gail. 2. Obs. 101. n. 3. Obr. de necess. defens. cap. 2. n. 6. si enim ex intervallo injuria propellatur, mera ultio est, C. I. A. d. l. Th. 19. n. 4. Notandum tamen, quod etiam illa retorsio dicatur fieri incontinenti, quæ ex intervallo post illatam injuriam suscipitur, dummodò eo fiat tempore, quo retorquendi potestatem habuit conviciis proscissus, nimirum quo primum certo rescivit & cognovit sibi absenti factam injuriam esse; & quo Notarium ad insinuandam injurianti retorsionem commode habere potuit arg. l. 2. §. 43. ad SC. Tertull. l. 1. d. divers. temp. præscript. l. 1. qua in fraud. creditor. l. 6. d. calumn. l. 55. d. adul. edict. l. 2. quis ord. in bon. poss. Harpr. ad d. §. 12. n. 97. & ex eo Berlich. d. l. n. 22. conf. Gail. de Pac. publ. lib. 1. cap. 16. n. 14. 15. Magnif. Dn. Mevius in comm. ad Jus Lub. lib. 4. Tit. 4. art. 10. n. 4. & ibi citat. etiam post decennium ut tradunt pleriq; DD. C. I. A. d. l. Th. 19. n. 4. Deinde, quia injuriæ scriptis comprehensa illata ac divulgata permanentem actum habent, ac quotidie loqui censentur, ideo quacunq; die intra præscriptionis Tempus si respondeas, incontinenti respondisse contendus es, Coihmann. d. Resp. 59. n. 132. seq. & n. 222. Gail. 2. Observ. 104.

XIIX. 2. Ut

2. Ut retorsio respondeat injuriæ illatæ; Nam si intra æquilibrium civilis & proportionis paris & æquabilis terminos se non continuerit, hoc est, si subsequuta responsio provocatione atrocior fuerit, nec retorsionis nomen meretur, quippe cui definitio nostra superius proposita accommodari nequit, sed tenebitur uterq; injuriarum actione; nisi vel lateat uter alterum provocaverit, tum enim quia par delictum est utriq; merito fit compensatio, *Obrecht. de necess. defens. c. 2. n. 19. Carpzov. d. q. 97. n. 47.* ubi etiam præjudicium habet: Vel in provocato animus excedendi moderamen abfuerit, siquidem hoc probato condonationem & excusationem prorsus meretur ex sententia *Corbman. d. Resp. n. 111.* Præterea gaudet provocatus & hoc beneficio ut propter præcedentem provocationem adeoq; servatum quidem moderamen tutelæ, sed non inculpatæ tutelæ, quæ bene distinguit *Marius Salomonius in re. pet. l. 3. ff. de just. & jur. & ex eo Carpzov. pr. crim. p. 1. q. 29. n. 16.* lenius mitiusve puniatur *Dn. Mey. d. l. n. 6.* deinde ut insententia existimatio honoris ipsi à judice reservari possit *Carpzov. d. q. 94. n. 80.* Responder ergo injuriæ illatæ quam maximè Retorsio, si idem convicium in conviciatorem regeratur; Formulam præscripsit *Harpr. d. l. n. 12. ibi.* So sage ich demnach/ daß gedachter Titius, und wer sonst ausgiebt/ sagt oder schreibt/ daß ich bemelten Cajum mörderischer weise umbs Leben gebracht/ mir mit solcher falschen Zulage den öffentlichen Ungrund und Lügen zugemessen/ auch solches alles unwarhafftiger/ erdichteter und falscher weise von mir ausgegossen/ gesagt und geredet habe; Wil auch solches alles hiemit per relationem legitimam, zu völliger Verwahrung meiner Ehren und guten Nahmens von mir hinweg getrieben/ und auff offternantzen Titium, wie auch alle die jenigen/ so deren Authores und Urheber/ also als dann/ und dann als also/ so oft dergleichen ferner etwas wider mich ausgegeben/ geredet oder geschrieben werden möchte/ verwendet/ in ihren eigenen Bussem geschoben/ und sie für solche hochsträffliche Ehrendiebe/ und die jenigen mörderischen Leute gehalten haben/ immer / so lang

lang und viel/ biß sie mit ordentlichen Rechten gebühlicher  
 darthun und beybringen werden/ &c. Vel si generaliter con-  
 vinciatori respondeatur: Tu mentiris, unde retorsio dicitur men-  
 tita & retorquere mentitam dare *Harpr. d. l. n. 121. & D D. passim.*  
 additis etiam verbis ut fur, ut latro, minimè verò: Tu mentiris tu  
 fur, tu latro, quia illa mendacii qualitatem, hæc vero diversum  
 crimen significant & ad meram ultionem tendunt, *conf. Carpzov.*  
*q. 96. n. 39. & q. 97. n. 27. & ejusd. J. F. p. 4. c. 46. def. 11. n. 11. Berlich.*  
*concl. 64. n. 5. 25. seq. & concl. 59. n. 53. ubi plures allegat, Harpr. d. l.*  
*n. 80. 81.* Hodie plerumq; utimur verbis: **Wie Ein Ehrens-**  
**dieb/ Ehrenschänder/** quod patet ex formula 2. ab *Harpr. præ-*  
*scripta d. l. n. 228. ibi.* **Sondern er/ der Titius leugnet mich zur Un-**  
**schuld schändlich an/ als ein vermessener hochsträfflicher**  
**Ehrendieb/ &c. & paulò post: Welches auff ihm/ als unbil-**  
**lichen Injurianten/ Diffamanten und Ehrendieb/ wie nechst**  
**gemeldet/ ersitzen bleiben wird/ &c.**

XIX.

Hinc sponte sua sequitur verba injuriosa multo minus inju-  
 ria reali repellere posse *Harpr. n. 185. arg. l. 35. d. R. I. Carpzov. pr. crim.*  
*p. 1. q. 28. n. 24. & p. 2. q. 97. n. 26. & ibid. cit. nisi velimus cum Sa-*  
*lomonio & Bolognetto ad l. 3. ff. d. J. J. distingvere inter certamen,*  
 quod instituitur inter ejusdem & diversæ conditionis homines, ut  
 hoc casu, si scilicet persona nobilis & in dignitate quadam insigni  
 constituta, ab infami vel vilissimo quodam homine injuriosis ver-  
 bis afficiatur, nobili huic liceat existimationem suam, alteri ala-  
 pam vel colaphum impingendo tueri; forte quia hic injuriam  
 in se verbis retortam nihili æstimat, adeoq; nulla verbalis cum eo  
 defensus est, cui nec par contumelia referri potest, *conf. Berlich.*  
*d. l. n. 30.* Quæ si vera sunt, nec vulgaris illa Theorica quam ha-  
 bet *Besold. Thes. pract. voc. Maulschel: Auff eine Lügen gehö-*  
*ret eine Maulschel/* ita simpliciter improbari poterit, dummo-  
 do ad specialem ejusmodi casum restringatur prout factum in sta-  
 tuto Argentinensium quod refert, & secundum illa 5. requisita,  
 quæ in eo continentur, rectè defendit *Obrecht. tr. de necess. def. cap.*  
*9. n. 22. 23. 29.* Verba statuti sunt hæc: **Ist/ das ein Ehrsamer**  
**Mann/**

**Mann/ einem üppigen schänden Mann/ der ihm üppiglich/**  
**hoffärtiglich/ und schändiglich antwortet/ ein Bäcklein gebe/**  
**oder ihn schläget/ darumb ist er niemand keine Lästerung**  
**schuldig/ noch geht für kein Gericht. Er sol es aber erzu-**  
**gen/ mit 2 oder mehr Personen/ daß er dasselbe mit Worten**  
**an ihn bracht habe; Mag er aber der Zeugen nicht haben/ so**  
**sol man seinen Eyd nicht gläuben. Coeterum nobis non obstat**  
*const. crim. Caroli V. artic. 140. ubi honoris famæq; defensio etiam*  
*cum internecone alterius permissa videtur. Ille enim articulus*  
*cum suppositione ordinis & graduum est exaudiendus: nempe*  
*ut impetitus sine manifesta labe & famæ jactura se nequeat subdu-*  
*cere: ideoq; famam verbis laceratam, retorsione salvet; adver-*  
*sarioq; verbera superingerenti, verbera defensiva rependat: Eo*  
*autem necem indesinenti impetitione machinante, tum demum*  
*servato defensionis moderamine, eadem invaloris impunitam*  
*fore, Magnif. Dn. Tabor. Armament. just. Disput. 4. cap. 2. Th. 7. §. 11.*  
*conf. Cothman. V. 2. Resp. 2. n. 111.*

## XX.

Forma Retorsionis externa alia solennis est, alia minus so-  
lennis. Ad hanc pertinet, quod fieri Retorsio possit vel verbis  
oretenus prolatis vel literis, iisq; vel ab ipso qui injuriam passus  
est vel ab alio ejus nomine legitime insinuatis, *Harpr. n. 194.* utroq;  
modo 1. vel specialiter non tantum certam aliquam injuriam, sed  
& certum subjectum, cui mentita danda, designando, vel genera-  
liter hoc scilicet modo: quisquis hoc vel illud dixerit scripseritve,  
quod patet ex formulis superius jam allegatis, *apud Harpr. d. l. n.*  
*127. & 128. ibi. Daß gedachter Titius, und wer sonsten außgibt*  
**oder schreibet. Et ibi. So weder er selber/ noch iemand an-**  
**ders auff dieser Erden/ er habe gleich Namen wie er wolle/**  
*&c. conf. Carpzov. d. q. 97. n. 23. Berlich. d. l. n. 7. Harprecht. n. 201,*  
*2. Purè vel conditionaliter, videlicet, si hoc vel illud dixeris, u-*  
*troq; enim casu ad defensionem honoris dicta censentur, Carpzov.*  
*& Berlich. d. loc. Solennem hodieq; utilissimam ac tutissimam*  
*describit Harpr. d. l. n. 111. & ex eo fere verbotenus Berlich. & Car-*  
*pzov. Ea est sequens: Affectus verbali injuria Notario & testi-*  
*bus ad*

C

bus ad

bus ad id specialiter convocatis Schedulam vel libellum Retorsionis ritè conceptum, suaq; propria manu subscriptum exhibeat, & ab eodem Notario palam legendum curet. Quæ lectione & publicatione coram testibus factâ requirendus est Notarius ab injuriato ut iisdem aliisque testibus adhibitis injurianti prædictum libellum nomine injuriati insinuet, vel quod hodie fieri quoque assolet, contenta ex ipso breviculo recitet, illiusq; responsum desuper factum diligenter in notam sumat & publicum instrumentum super his omnibus conficiat atq; injuriato asservandum tradat. Ratio hujus utilitatis est hæc, quod injuriatus propter præsentiam Notarii ac testium, nec non propter publicum illud instrumentum perpetuum consequatur testimonium, quo edocere data occasione, liquido possit, se injuriam sibi illatam non neglexisse, sed bona conscientia fretum in adversarium legitimo modo retorsisse.

### XXI.

Finis hujus remedii justissimi hic est. 1. Ne silentio criminibus objectis consensisse videatur, *arg. l. 142. d. R. I. § l. 2 §. 2. ff. solut. matrim. cum contradicendo id impedire possit, Barbof. aug. lib. 18. cap. 1. axiom. 7. limit. 3.* 2. Ut injurians à pluribus convitiis evomendis absterreatur, vel si pergat authoritas per mendacii objectionem deminuat, *Harpr. d. l. n. 99. arg. C. 54. X. d. Testib. § l. 3. ff. eod.* 3. Ut hac ratione famæ suæ per quam commodè consulat absque odiosa injuriarum actione, sumptibusq; parcat, *Berlich. d. concl. n. 39.* Et deniq; 4. ut Christianæ dilectionis memor illatam sibi injuriam nuda saltem regectione non vero acerbiore processu vindicet, *Cotbman. V. 5. Resp. 47. n. 1. § 2.*

### XXII.

Effectus Retorsionis multiplex est, alius à parte injuriati & retorquentis, alius à parte injuriantis seu ejus cui mentita data est. Ille objecti criminis suspicionem purgat *arg. l. 25. ff. d. Procurator.* Ubi is qui in obtrectatorem & convitiatorem retorsit & regeffit injuriam sibi illatam, opprobrium, convitium & pudorem suum purgasse dicitur, cui consequens est, quod retorquens possit

post factam Retorsionem injuria amplius non sit affectus, *Berlich. d. concl. 64. n. 40.* Hic ex aduerso, i. Silentio suo (nec enim verbulum contra mussitare audebit, nisi voluerit injuriam revocare humillimeq; deprecari, de quo in seq.) purgationem injuriæ comprobatur, seq; mentitum fuisse haud obscure indicat; verba sunt incomparabilis *Jcti Cochmanni d. Resp. 47. n. 4.* 2. Ipsissima illa injuria, quam in retorquentem effuderat, retorsione facta, manet obligatus, fama; ipsius apud honestos tamdiu gravata usque dum legitimo modo injuriam probaverit, *C. l. A. d. l. Th. 20. n. 2. & Th. 21. in fin.* adeo, ut ex honestorum consortio justè possit excludi, sicuti in Terminis respondit Amplissima Facultas Juridica Tubingensis die 14. Septemb. Anno 1629. verba d. Respons. hæc sunt: **Über dessen allen unangesehen/ halten wir unsers Theils/ daß von wolgedachtem Racht gar vernünfftig und recht gehandelt/ daß man ihm Herrn D. S. anhero eine zeitlang von seinem officio suspendiret, weil sonderlich bereits durch eines/ und wie wir vermeynen/ unverwürflichen Zeugens/ eydliche Deposition, beygebracht/ daß diese Injurie, welche zu des Herrn Commenthurs Retorsion geandet/ sürgelauffen/ &c. & pauld post: Welchem allen nach wir unsers Theils der Meynung sind/ man solte noch zur Zeit die von dem Zn. Commenthuren gesuchte fernere Zeugens Verhör einstellen/ als welche besorglich zu mehrerer Verbitterung und Weidläuffigkeit dienen möchte/ sondern vielmehr Zn D. S. dahin weisen/ daß er dem Zn. Commenthuren zugefügter Injurien halber/ ex arbitratu bonorum virorum, genugsame Satisfaction thue/ und sich dergestalt schrifelich erkläre/ daß so wol er Zn. Commenthur/ als der ganze hochlöbliche Orden damit zu frieden seyn könne/ daß nemlich/ wann solche Worte von ihm geredet/ selbiges ihm Leid/ auch darum gebührends umb verzeihung bite/ mit fernerer Erklärung/ daß er damit weder offtangedeuteten Zn. Commenthur/ oder jemand anders/ schmähllich gemeynet haben wolle/ & in fine: Solte dann die Sache von dem Zn. Commenthur/ in seiner Retorsion sürggebenet massenerwiesen/ und des einen Zeugens Aussag bestärcket/ auch**

vom Zn. D. S. zu seiner Entschuldigung fürgewendete Umstände nicht beygebracht werden/ sondern erst angedeutete Retorsion allerdings bey ihren Kräfften verbleiben/ würde auff solchen Fall die Sache noch mehr und sehr beschwerlich/ auch die Suspendio, sonderlich bey diesen Zeiten/ nicht wol cassiret werden mögen. *Vid. Besold. Thes. pract. voc. Retorsion.*

### XXIII.

Quaritur autem an Retorsio actionem injuriarum perimat? quod affirmamus. Hinc actione injuriarum experiri, neque poterit is, cui injuria verbalis relata est Retorsionis remedio, quia injuriam non facit qui jure suo utitur. *l. 55. d. R. l. 1. §. 12. d. aqu. plav. arcend.* Respondere enim injuriatus voluit non lacessere. Benedictis injurians si certasset, audisset bene. Tota itaque culpa & dolus est penes illum qui provocavit & causam dedit Injurie sibi illatae. *Bologner add. l. 3. d. J. & J. n. 16. Peretz. d. Tit. d. injur. n. 9. arg. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. adeoq; ignoscendum ei, qui voluit se ulcisci provocatus l. 14. §. 6. d. bon. libert. namq; non prudentis minus quam æqui judicis sententia fuit, cum de jurgio quodam Senatoris, equitisve R. ita pronuntiavit Fl. Vespasianus: Non oportere maledici Senatoribus, remaledici civile fasq; esse, notante Sueton. l. b. 8. c. 9. & Clariss. Dn. Bœcler. Dissert. pol. in eund. Vespas. tb. 11.* Neq; is qui injuriam sibi illatam legitimè retorsit, extitit enim jam sibi ipsi judex & ultor *Carpz. pr. crim. p. 2. q. 97. n. 34.* dum jus sibi ipsi dixit in eo quod poterat auctoritate juris implorare *Peretz. ad Tit. C. d. injur. n. 10.* ut non incongrue dicatur titulum actionis sibi corrupisse à Cl. Dn. Bœcler. d. l. in fin. quam sententiam ut æquiores, communiorem & in praxi receptiorem ob rationes & præjudicia, quæ habet *Berlich. d. concl. 64. n. 38. seq. Carpz. d. q. 97. n. 31. seq.* quibusve calculum in pronuntiando addere solita fuit suo tempore Facultas Jur. Acad. Gryphicæ, commendat. *Magnif. Dn. Mevius ad jus Lub. d. lib. 4. Tit. 4. art. 10. n. 7. 8. vid. Anton. Faber. ad C. lib. 9. Tit. d. injur. 20. def. 8. Harpr. d. l. n. 78. seq.* quamvis gravissime dissentiat *Cothman. sapius cit. Resp. 59. n. 202. & Henr. Tiebeltrã/ decis. 18. conf. C. I. A. d. l. tb. 21. 22. Locam. quæst. just. 355. Bachov. ad Treuil. V. 2. D. 30. Tb. ult. lit. E. F. G. in fin.* Cæterum cum Retorsio

lio

no jus partis tantum concernat, ipsi judici facultatem haud admitter delictum ex officio coercendi, *Magnif. Dn. Mevius. d. l. ex Car. p. 200. d. q. 97. n. 40.* ubi præjudicium quoq; habet.

#### XXIV.

Retorsioni contraria est Retorsionis Retorsio, quæ in communi rejicitur praxi. *C. I. A. d. l. 1b. 23.* utpote quæ prohibita ac verita est *arg. l. ult. ff. quod quisq; jur. in alter. stat. Cothman. d. resp. 59. n. 121.* maxime quod retorsioni contrariam retorsionem opponens non habet quod retorqveat, sed primæ falsæ injuriæ novam accumulet, *Obrecht. de necess. defens. cap. 2. n. 27. 28.* Nisi retorquens vel modum retorsionis legitimæ excesserit, vel prorsus sub specie ac prætextu retorsionis falsò dixerit, vel scripserit verbalem sibi injuriam esse illatam & propterea retorquendo mendacium innocenti objecerit; hoc enim casu, & ratione excessus, & ratione falsæ injuriæ alter injuria revera est proscissus, unde necessario sequitur, quod replicando famam suam legitimè vindicare possit, *Harpr. d. l. n. 220. C. I. A. d. l.* & in hunc casum directa est formula retorquendi 3. quam habet *Harpr. d. l. n. 229.*

#### TANTUM.

*Sicut aromata magis redolent, quo magis conteruntur, ita veritas, quanto magis conteritur, tanto clarior expulsis nebulis in litem progreditur, Aymon, Gravett, Volum. 1. consil. 135. n. 18.*

#### SOLI DEO GLORIA.

C 3

Per Ek

*Per Eximio Præstantis simoq;*  
DN. RESPONDENTI.

**L**inquere conditio splendens hæc arva jubebat,  
Tardares contra Te tua Musa monet;  
Musa canens rabidis detrectatoribus ævi  
Labem, MENTITAM quæ merito sequitur.  
Ergo sis fortis justæ defensor arenæ  
Et curam Famæ jure tuere piam,  
Atqve ex laudando nisu quod gestis apisci  
Hoc tibi, crede mihi, conferet alma Themis,

*Cum voto Maxima felicitatis  
scribebat*

Disputationis Præses.



**M**artia bellicrepis cum certant corda ruinis  
Ut possint patrios seq̄ beare lares  
Arma parant; animis Vulcania tela ministrant,  
Nec linqunt sævas hoste flagrante minas.  
Sic tu dum Themidis Parnassia castra pererras  
Arma paras ullis, haut nocitura piis,  
Namq; doces famam qua quis ratione tueri  
Possit, & assultus arte cavere malos,  
Quod si sic perges, juro armatura piorum  
Et studiis crescet semper amata tuis.

*Scrib. cum adprece.  
feliciss. successus*

Michael Pancratius,

Sabes. Transylvanus,  
J. U. D.

**S**o bringstu/ liebster Freund/ tekt öffentlich ans Licht/  
Was du mit Fleißig-seyn bishero außgericht.  
Wol! Du mein ander Ich/ Du bist bemüht gewesen/  
schon längst/ so süsse Früchte von deinem Fleiß zu lesen/  
Die Du in diesem Streit den Weisen reichst ein:  
Und kan diß wol mit recht Ein Streit des Rechten seyn.  
Man seh die Blätter durch/ was vorhin von den Alten/  
Vor kluges Nürrisch-seyn/ und schlimmes Recht gehalten;  
Das wird von Dir aniekt zum Mittel dargestellt/  
Dadurch ein Viderman mit kurzer Müß' erhelt/  
Wovon er ehrlieh heist. Laß andre sich nur zancken  
Um das/ was nichts mehr ist/ was einzig in Gedancken/  
nicht in der That besteht: Die Frucht ist schlecht und klein/  
die unser Vaterland hiervon kan samblen ein/  
Der Nuß ist gar kein Nuß. Ich rühme dein Beginnen/  
Und iederman mit mir/ daß deine scharffe Sinnen  
mit diesem sind bemüht/ was in dem ganken Land/  
durch täglichen Gebrauch ist üblich und bekand.  
Fahr nur so ferne fort/ zu samlen solche Sachen/  
die Vaterland/ und Dich/ beglückt/ und ruhig machen:  
Der Weg ist schon gebahnt. Gott/der dir ihn gezeigt/  
verbleibe liebster Freund/ dir fort/ wie vor geneigt;  
Und laß nach so viel Müß' Dich solcher Ruh genießen/  
Daß künfftig Freund und Feind Dich glücklich preisen müssen.

Dieses setzte seinem liebwerhesten Freund  
in eyl binzu

Augustinus Wolff/

LL. Stud.

So kan

 I kan dein hoher Geist die theuren Tugend-gaben/  
Mein werther Gubtermuht/ nicht mehr verborgen  
haben?

So recht! was göttlich ist/ das schwingt sich Himmeln an;  
Die Tugend sucht den Zweck dort an der Sternen Plan.  
Dein niemahls lasser Muht/ des hohen Geistes Güter  
Enkhünden deinen Fleiß: Was jemahls die Gemühter  
Der Sterblichkeit entführet/ und Götter-gleich gemacht/  
Das reizt dich mehr und mehr. Wann einer Tag und  
Nacht

Mit saurer Müß und Schweiß den Acker hat gebauet;  
Und denn die volle Blüht der schwangern Erden schauet/  
Erfreuet sich sein Herz/ und fasset guten Muht/  
Die reiche Erndten Zeit werd ihm mit grossem Gubte  
Bekrönen. So wird auch Apollo sich verpflichten  
Das grünen dieser Zeit mit Himmel-süssen Früchten  
Zu zieren. Fahr nur fort der Tugend Pfad zu gehn/  
du wirst/ mein Gubtermuht/ an Phöbus Saale stehn.

Friederich Seyffart/  
von Hall ans Sachsen der  
Rechten Besiffeney.











